



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Oratio sacerdotis dicenda ad poenitentiam venientibus. iii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

cordis simpliciter confessus, suscipiat remedia pœnitentiæ secundum modum canonicis autoritatibus præfixum. Non solum autem ille qui mortale aliquid commisit, sed etiam omnis homo quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam quam in baptismo accepit, peccati macula polluisse, ad proprium sacerdotem festinet venire, & cum puritate mētis omnes transgressiones, omnia peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur: & quicquid ei à sacerdote fuerit iniunctum, ac si ab ipso omnipotentis Dei ore esset prolatum, ita diligenter intendat, & cautissimè obseruat.

Episcopi, vel presbyteri quando fidelium recipiunt confessiones humiliare se debent, & cum tristitiæ gemitu lachrymisque orare, non solum pro suis delictis, sed etiam pro fratris casu. Ait enim Apostolus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Cùm ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, mādēt ei sacerdos, ut expectet modicum donec intret Ecclesiā, aut in cubiculū suum ad orationem. Si autem locus non est aptus ad hoc, in corde suo dicat hanc orationem.

*Oratio sacerdotis dicenda ad pœnitentiam venientibus. Cap. III.*

**D**omine Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori, ut condignè tibi possim gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum, & ad intercedendum ad dominum nostrum Iesum Christum filium tuum pro peccatis, & ad pœnitentiam reuertentibus. Ideoque dominator domine, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut conuertantur, & viuant, suscipe orationem meam quam fundo ante conspectu clementiæ tuæ, pro famulis & famulis tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, ut respiscant à diaboli laqueis, à quibus astricti, tenentur & ad te per condignā satisfactionem reuertantur, Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.